



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. V. De Notario, sive Actuario, vel Scriba.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

Verum sufficere, ut quis sit deputatus iudex synodalis firmavit quandoque Rota, cum tunc <sup>24</sup> *presumptio flet pro idoneitate. Mantie. decis. 5. in fine.*

Postquam vero unus est deputatus in Assessorem necessarium non potest iudex alium sibi <sup>25</sup> affumere, & praesertim si fuerit electus unus ex Auditoribus Rotae, atque alias sententia est nulla, ut quandoque Rota censuit. *apud Cocchin. decis. 1701. & decis. 1758.*

Et de obligatione Assessoris expediendi causam infra certum tempus ad formam Statutorum Urbis, ac etiam Constitutionum Apostolicarum super reformatione Tribunalium Urbis agitur in eisdem mox allegatis decisionibus. *apud Cocchin. ubi supra.*

## De Notario, sive Actuario, vel Scriba.

### S Y M M A R I U M

1. **N**otarius, vel actuarius dicitur persona necessaria ad integritatem in iudicio ad effectum probationis actorum.
2. De diversis Notariorum, vel conficientium acta vocabulis.
3. De juvenibus, vel substitutis Notariorum, seu Scribis.
4. Isti conficiunt acta nomine Notarii eorum Domini, etiam si ipsi non sint Notarii.
5. & 6. Notarii, vel actuarii, an sint officiales, atque officialium nomine veniant ad plures effectus.
7. Notarius an possit recusari suspectus sine causa allegatore, & probatione.
8. Quid servetur in Curia, quando Notarius allegatur suspectus.
9. Qua fides ei praestetur circa decreta, & alia acta.
10. De eodem praesertim circa eorum deputationem, an eorum assertioni deferatur.
11. An subjaceant sindicatui.
12. An possint esse in propria patria.
13. Laici, an possint esse Notarii fori ecclesiastici, & quatenus sint, an obtineant exemptionem fori, & quid e converso, an clerici sint Notarii in causis fori secularibus.
14. An clericus qui sit Notarius fori laicalis amittat pensiones, & beneficia.
15. An quaesita per clericum ex Notariatus exercitio subjaceant spolio.
16. De eodem de quo num. 9. & 10. circa facultates Notarii.
17. Tenetur Notarius de minus idoneis ab eo susceptis.
18. Item tenetur de factis juvenum, & substitutorum.
19. Ad quid teneatur circa amissionem scripturarum apud ejus acta productorum.

### DISC. V.

**E**X communi recepto usu, ultra tres substantiales personas, Actoris, Rei, & Iudicis; De iudicii appenditiis reputatur quoque Notarius, sive Actuarius, qui acta & processum conficiat, magisque necessarius est Notarius, quam sit Assessor, dum iste deputatur solum in casu, quo Iudex sit illiteratus, Notarius autem, vel Actuarius, in omni iudicio adhibetur, etiam ubi Iudex sit literatus, cum dicatur iudicis oculus, sive instrumentum necessarium, unde Juristae illum iudicis oculum appellant; Quamvis aliquando Notarius sit oculus clausus, vel iudicem potius

cacutiare faciat, atque velamen ante ejus oculos apponere soleat, vel pulverem injicere.

Diversa verò sunt hujusmodi Notariorum nomina, seu vocabula; Alicubi enim vocantur Notarii, ut praesertim praxis docet in Urbe, ubi illi Notarii, qui conficiunt acta judicialia, sunt <sup>2</sup> Notarii conficientes instrumenta, aliaque acta conventionalia, habentes officium in titulum, vel in administrationem, juxta illas diversas Notariorum species pro diversitate Tribunalium, quae recententur in relatione Curiae de singulis Tribunalibus agendo, *infra in relatione Curiae disc. ubi de Notariis.* Ac etiam aliqua species inveniuntur in sede Regalium, occasione agendi de officiis venalibus. *sub tit. de Regal. disc. 7. & seqq.*

Alicubi verò dicuntur Actuarii, seu Magistri actorum, ut praxis docet in Regno Neapolitano, ubi conficientes acta judicialia, discreti sunt à Notariis conficientibus instrumenta, super contractibus, & conventionibus; Ideoque sub hoc diverso nomine appellantur; Atque in ipsa Civitate Regia, seu Tribunalium residentiali, isti Actuarii eodem modo quo in Urbe, hoc munus obtinent in officium venale; In inferioribus autem Curis, & Tribunalibus Regni, id obtinent in administrationem, vel jure conductionis ad annum, vel ad alia statuta tempora, ipso jure residente penes Regem, vel penes Barones, sive penes eos quibus illius loci cancellaria sub nomine banchae explicari solitum, in officium competat; Et alicubi dicuntur Cancellarii, ut frequentius contingit in Curis Episcopalibus; Ac etiam in statu ecclesiastico, in quo exercentes cancellarias jure affectus, seu appaltus singulis anuis, vel aliis statutis temporibus id obtinent; Et alicubi dicuntur secretarii, ut aliquorum Episcopatum praxis docet, quod tam in nomine quam in modo, totum pendeat à styliis, & consuetudinibus, pro regionum, seu principatum diversitate.

Adest etiam talis species Astitantium, qui in Urbe, aliisque Status ecclesiastici partibus, <sup>3</sup> substituti, vel juvenes dicuntur; In dicto autem Regno Neapolitano, praesertim in magnis Tribunalibus, tam ecclesiasticis, quam saecularibus Civitatis, vel in regis audientis, aliisque Tribunalibus collegialibus, sive singularibus, in quibus multa peraguntur negotia, vocantur Scribae, id est non Notarii in officium, vel in administrationem, sed ipsorum Notariorum adjuutores, & substituti, vel famuli in illius muneris exercitio. Et sub quo Scribarum vocabulo in Hispania ipsi Notarii in capite, seu Actuarii, pro ditionum quoque diversitate explicari solent; Eo modo quo in dicta Civitate Neapolis explicantur illi Actuarii, seu Cancellarii, qui peragunt acta illius supremi Tribunalis, quod Collaterale Consilium dicitur, & constituitur ex Prorege, & Regentibus Regiam Cancellariam, quoniam Scribae à mandatis appellantur, plures alios inferiores scribas, vel substitutos habentes pro adiutorio in exercitio, qui tamen non sunt officiales.

Dictique substituti, vel adjuutores, in Curia se rogare solent nomine eorum domini, ac Notarii principalis, quamvis ipsi non sint Notarii, ut <sup>4</sup> inferius agendo de fide instrumentorum advertitur addetur agendo de Notariis. *infra disc. 26. & in relatione Curiae agendo de Notariis.*

Quaestio enim alias involuta erat, hodie verò est plana; An hujusmodi Notarii, vel Actuarii dicantur.

dicuntur verò officiales, atque officialium nomine veniant, quod præsertim inter Regnicolas nimum disputatum est occasione illius Ritus Magnæ Curia Vicaria, ut de delictis officialium non cognoscat nisi ipsa Magna Curia, privativè ad quascumque alias Regias, vel Baronales Curias inferiores, sive ad effectum compræhensionis sub aliis legibus, & pragmaticis loquentibus de officialibus; Licet enim apud antiquiores id esset nimum controversum, hodie tamen recepta videtur affirmativa. *Gizzearell. & add. decis. 24. Rovit. decis. 72. num. 50. & seq.*

Quod etiam generaliter in terminis juris communis receptum videtur, occasione prohibitionis contractuum, vel etiam ultimarum voluntatum inter officiales, & litigantes, sive de civili, sive de criminali lite agatur, in qua concussionis ratio intrare valeat, cum ad Notarios quoque id extendi solet, quando eadem congruat ratio, ut in suis sedibus advertitur. *sub tit. de testam. disc. 51. cum similibus effectibus pro diversis locorum moribus, vel stylis, ob quorum diversitatem, certa, & generalis regula cuicumque casui applicabilis, statui non potest, ideoque pro generalitate, ad rationis identitatem est reflectendum.*

In hujusmodi verò Notariis, vel Actuariis, receptum est idem quod in Assessoribus enunciatur *disc. præcedenti*, ut regulariter suspecti recusari valeant, absque necessitate allegandi, & justificandi legitimas causas, ut in Iudicibus ordinariis, vel etiam in delegatis ad universitatem caularum requiritur, nisi locorum leges, vel styli particulares aliter suadeant. *Ann. & add. sing. 489. Rovit. pragmat. 1. de suspit. official. num. 19. Buratt. decis. 371. num. 8. ubi quod requiritur juramentum.*

Quia verò hoc munus, sive sit in officium, sive in administrationem, aut ex titulo conductiois, vel appaltus, ex causa onerosa obtinere solent; Hinc proinde, quando apud eorum acta, aliqua causa introducta sit, juxta præsertim proximæ Curia, recusatio non causabit amissionem causæ, sed solum impedimentum exercitii in ea persona, ut scilicet acta ab alio Notario per Iudicem subrogando, sive ab illo, qui ex pluribus Mensariis dici solet, acta peragantur, ad commodum tamen illius Notarij, qui causam prævenit; Quamvis etiam super hoc certa regula generalis, ubique applicabilis non cadat, cum ex locorum stylis totum pendeat.

Eorumdem fidei, pariter pro locorum vel Tribunalium legibus, vel stylis, magis, vel minus diversimodè deferri quoque solet, quoniam in aliquibus partibus etiam super decretis interloquutorijs, vel aliis incidentibus, nulla fides Notario præstatur, nisi Iudicis quoque subscriptio accedat, atque in aliis actibus, in quibus nullæ sint Iudicis partes, puta in relationibus, quæ fiunt per nuncios vel cursores super executionibus citationum, nisi testes quoque adhibeantur. *Burat. & add. decis. 324. & infra disc. agendo de citatione, ejusque executione.* Alicubi verò, & præsertim in Curia, nimum eorum fidei deferretur, præsertim circa decreta interloquutoria, etiam si quandam vim habeant diffinitivæ super omnimoda terminatione, puta in causis summariis, & executivis, Notariis deferretur absque Iudicis subscriptione, vel publicationis solemnitate, cum utrumque in solis

sententiis diffinitivis per cedulam præstetur, cum declarationibus infra in sententiarum Rubricas; Ac etiam deferretur eorum assertionibus super deputatione de seipsis facta per Iudicem. *Add. ad Vestr. lib. 6. cap. 2. num. 48. Rovit. pragmat. 9. de ord. judic. numer. 7. Coccin. decis. 404. & 475. Buratt. & add. decis. 146.*

Super findicatu quoque certa non habetur regula, sed totum ex variis stylis, vel moribus pendet, quoniam, ubi agitur de illis Notariis id obtinentibus in officium, findicatus in usu non est; Secus autem ubi de iis, qui jure conductiois, vel simplicis administrationis annalis, vel ad nutum, id obtineant; Idque pariter diversos habet usus, ut scilicet in Curis laicalibus, findicatu regulariter subjaceant, eodem modo, quo subjacent ipsi Iudices, cum acta conscribant; Secus autem ubi de Curis Episcopalibus, ita regulando accessorium à natura principalis cum receptum sit, quod Vicarii generales non subjacent findicatu, qui solum à Sac. Conc. Trid. in Vicariis capitularibus demandatur. *in annot. ad S. C. T. disc. 31.*

Super qualitate personæ hoc munus exercentis quæstiones cadere solent; Puta pro locorum legibus, vel stylis, prohibentur esse cives, vel incolæ, nisi consuetudo aliter suadeat, sive loci qualitas quoniam etiam in laicalibus Curis dicti Regni Neapolitani, in quibus receptum est, ut regulariter tam Iudices, quam Actuarii non possint esse cives, vel incolæ, limitatur in parvis locis, in quibus ob emolumentorum exiguitatem non facile inveniuntur exteri, qui illud munus exerceant. *Franch. & add. decis. 98.*

Ac etiam super laicali, vel ecclesiastica qualitate, quoniam in causis merè ecclesiasticis, vel spiritualibus, laici regulariter prohibiti sunt Notarium gerere, nisi consuetudo aliter disponat; Et quatenus laici id gerant, intrant jurisdictionales quæstiones, an efficiantur de foro ecclesiastico, ut propterea fori laicalis exemptionem obtineant, idque non modicam habet quæstionem. Atque licet regula ex probabiliori sententia exemptioni assistat, observantia tamen seu consuetudo magnam partem habet. *De Marin. resol. 117. lib. 1. Thes. decis. 22. Squillant. de privit. cleric. cap. 7. num. 54.*

Et è converso, in plerisque partibus, vel ditonibus, præsertim verò in dicto Regno, ob generalem prohibitionem, ne clerici absque regia dispensatione laicalem jurisdictionem, seu laicalia officia exerceant, clerici ad hujusmodi Notarium, vel Actuarium munus exercendum non admittuntur.

Adeoque id alicubi cum clericatu incompatible reputari solet, ut quandoque judicatum sit, quod hujusmodi muneris susceptio, implicitam clericatus dimissionem, ac assumptionem status laicalis præseferat, ut propterea ecclesiasticorum beneficiorum vacatio, vel ecclesiasticarum pensionum amissio resulteret. *lib. 13. tit. de pension. disc. 47.*

Ejusdem quoque muneris exercitium clericis illicitum esse plerique putant, ut propterea bona, quæ ex eo quaesita sunt spolio, subjaceant, eodem modo quo alia ex illicita negotiatione, sive illicito quaestu subjacent; Verum hæc opinio minus probabilis censetur, quoties non agatur de clericis in sacris, utpotè prohibitis se ingerere in

causis criminalibus, five idem munus exercere apud Judicem laicum; Adhuc tamen locorum moribus, vel stylis nimium deferendum est. *cod. disc. 47. de pension.*

Super facultate autem conficiendi acta, præfertim super illa recipiendi testium dicta, aliq; peragendi, quæ regulariter, ac in puncto juris interventum, vel autoritatem iudicis exigunt, an scilicet Notarius explicet, & an sibi de commissionibus, vel facultatibus à iudice attributis, deferendum sit; Aut circa fidem ei præstandam super actorum, aliorumque jurium extractione, certa desuper generalis regula statui non potest, cum singulorum Tribunalium, seu locorum legibus, vel stylis deferendum sit, atque, in iis, quæ Romanæ Curiae praxim concernunt, singulorum Tribunalium recensita praxis, vel qualitas, aut singulorum actorum judicialium pertractatio, id incidenter insinuat, cum has generalitates pro nunc insinuasse satis videatur. *in relatione Curie agendo de Notariis, vel de singulis Tribunalibus respectivè.*

De minus idoneis cautionibus, vel fideiussionibus, quas recipiunt, de proprio in subsidium tamen tenentur partibus quanti interest. *Rovir. decis. 45. & 83. de Marin. resol. 3. lib. 1.*

Ac etiam regulariter tenentur de facto eorum juvenum, & substitutorum, seu adjunctorum in iis muneribus, quibus per eos sunt præpositi. *Orthob. decis. 142. num. 9. cum seqq.*

Super juribus, & scripturis, quæ in ejus actis producta sint, & non reperiantur, quæstiones cadere solent, ad quid scilicet Notarius teneatur, idque revera pro locorum, vel Tribunalium diversis stylis determinationem recipit; In Curia verò tenentur parti interessaræ ad quanti interest, ne aliàs colludendo cum altera parte, in eorum libito repositum sit, aliquem supplantare, ejusque scripturas, ac instrumenta occultare, seu lacerare. *Buratt. decis. 808. Ridolphin. par. 2. cap. 3. n. 69. decis. 207. par. 10.* Qualis autem Notarii interventus requiratur in publicatione sententiæ habetur infra in ea Rubrica, in qua de sententiæ tractatur.

### De Procuratoribus judicialibus, vel Curatoribus, seu Actoribus ad lites aliisque defensoribus.

#### S V M M A R I U M

1. Illi qui habent liberam administrationem, possunt litigare per se ipsos sine defensoribus.
2. De tribus nullitatibus substantialibus, quarum una est ista mandati.
3. Mandatum probatur etiam per præsumptiones, & adminicula.
4. Quæ sint ista præsumptiones, & præsertim illa expense notabilis.
5. De eodem, & de aliquibus conjecturis.
6. An exhibitio scripturarum sit sufficiens argumentum.
7. Sufficit citare illum, qui obtinuit expeditionem.
8. De mandato speciali necessario in positionibus, & in præstatione juramenti, & aliis.
9. An & quando factum procuratoris præjudicet principali.
10. De tacita, vel implicita revocatione procuratoris.
11. An & quando procurator revocari non possit.
12. De procuratore effecto domo litis, ut mandatum non expiret per mortem.

13. Revocari potest procurator, etiam si fuerit deputatus tanquam irrevocabilis.
14. De personis, quæ non possunt esse in iudicio sine curatore, vel defensore.
15. Non sufficit deputatio curatoris, vel defensoris nisi sequatur defensio.
16. De alio personis, in quibus intres idem de quo n. 14.
17. De deputatione curatorum minorum, vel patrimoniorum &c.
18. De partibus, quæ habere debent procuratores, & causidici remissive.
19. An scientia procuratoris noceat principali, atque in eo etiam certioratio præsumatur.
20. An procurator teneatur de proprio ad mercedem Notarii pro actis.
21. De obligatione procuratoris appellandi, vel prosequendi appellationem.
22. De facultatibus Procuratorum generalium Religiosorum.
23. De mercede procuratorum, & causidicorum, & de potioritate dictæ mercedis.
24. De pacto quota litis.

#### DISC. VI.

Regulariter ista persona procuratoris, vel defensoris, ad iudicii integritatem necessaria non est, ut est illa Notarii, vel Assessoris respectivè, quoties de illis litigantibus agatur, qui liberam habentes suorum bonorum administrationem, per se ipsos contrahere, aliaque negotia gerere valent, quoniam pariformiter per se ipsos in iudicio esse possunt, eorumque jura tueri, absque necessitate deputandi procuratorem, vel alium causidicum defensorem, sine quo rectè iudicium perfici potest; Pro frequentiori tamen usu, ut periti defensores habeantur, rarè sunt causæ, in quibus Actoris, & Rei, procuratores, aliique defensores non interveniant, super quorum sufficienti facultate, facti potius, quam juris quæstiones esse solent; An scilicet constet, necne de sufficienti mandato ejus, cujus commissio, vel ommissio principali colliganti præiudicium causet, adeo ut in Romana Curia, in qua nimium commendabiliter refecata sunt omnes illæ nullitates, quæ ex legum superstitiosa subtilitate, super judiciali ordine manant, cum restrictione ad tres tantum substantiales, ista species nullitatis ex defectu mandati inter dictas tres recensetur; Una enim est jurisdictionis; Altera citationis; Et altera mandati ut infra in nullitatum discursu, vel Rubrica advertitur. *infra in eo discursu in quo agitur de nullitatibus.*

Quando itaque de expresso mandato constat, tunc ejus tenor quæstionem dirimit, an scilicet contineat, necne illas facultates, de quibus fit quæstio; Ideoque frequentius cadere solent disputationes, quando explicitum non accedat mandatum, sed allegetur præsumptum; Siquidem non dubitatur, ut illud etiam tacite, seu implicitè dari possit, quodque præsumpta, vel adminiculativa probatio admittatur. *Gregor. decis. 44. 111. & 330. decis. 205. apud Posth. de subhasta. & sæpius.* Verum, & id pariter facti potius, quam juris est, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis decidendum, Et ex quibus, in uno casu leviores præsumptiones sufficere solent, in altero autem, eadem, ac majores insufficientes reputantur, pro causarum qualitate, vel præiudiciorum gravitate, fortius verò pro Tribunalium, seu locorum stylis ac moribus.

Potif.